Quelle: https://manuscripta.at/?ID=875
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ꝗ quod in hac generis significatione legendum fuit aptasse. Ordo
autem uerborum ita se habet qui est ypbaton intelligendus. Genus enim
dicitur: ⁊ aliquorum ad unum se aliquomodo habentium collectio. ⁊ ad se invicem
aliquomodo habentium. Rursus collectio subaudienda. est enim
zeuma. Cui significationis adiecit exemplum. Secundum quam significa
tionem romanorum dicitur genus. ab uni scilicet habitudine. dico autem
romuli. ⁊ multitudinis rursus habitudine. habentium aliquomodo ad
invicem cognationem. eam scilicet quae ab illo est idest romulo secundum diuisi
onem ab aliis generibus dicere scilicet multitudinis. Haec enim multitudo
aliquomodo ad se invicem habens. genus dicta est. ut ab aliis discerneretur
ut romanorum genus ab athenensium ceterorumque separetur. ut sit integer
ordo uerborum sit. Genus enim dicitur ⁊ aliquorum collectio. ad unum se quodam
modo habentium. ⁊ ad se invicem secundum quam significationem romanorum
dicitur genus ab uni scilicet habitudine. dico autem romuli. ⁊ multitudinis
secundum diuisionem ab aliis generibus dicere: habentium scilicet hominum
aliquomodo ad invicem: eam quae ab illo est. idest romulo cognationem.
atque haec hactenus. Nunc de secunda generis significatione dicendum
est: Dicitur autem ⁊ alter rursus genus. quod est unius cuiusque generationis
principium. uel ab eo qui genuit. uel a loco in quo quis genitus est. Sic
enim orestem quidem dicimus atque alio habere genus. ilium autem
ab hercule. Et rursus pindarum quidem thebanum esse genere. pla
tonem uero athenensem. Et enim pater principium est unius cuiusque gene
rationis. quemadmodum ⁊ pater. Haec autem uidetur imperfectissima esse
significatio. Romani enim qui ex genere descendunt romuli. ⁊ ce
cropidae qui a cecrope ⁊ hoc parimi. Quatuor omnino sunt prin
cipia quae unumquodque principaliter efficiunt. Est enim una causa quae
efficiens dicitur. uelut pater filium. Est alia quae materialis. uelut
lapides domus. tertia forma. uelut homini rationalitas. Quarta.
quae obrem uelut pugnae victoria. Duae uero sunt quae praecedentes
unius cuiusque dicuntur esse principia. locus scilicet ac tempus. Quod enim
omne quod nascitur uel fit in loco. ac tempore est. Quo quid loco uel tem
pore natum factum ue fuerit. eum locum. uel id tempus accidentaliter
dicitur habere principium. Hoc omnium in hac [illegible] secunda generis significa